



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Brevis Expositio Propositionum Damnatarum**

**Didacus <ab Aragonia>**

**Venetiis, 1728**

Eleemosyna.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**

ria, aut saltem juratoria de satisfacienda parte læsa, quam primùm poterit, quæ omnia in praxi à Confessariis servanda sunt, quando similes, & ligatos censura reservata absolvere debebunt, quod si hæc scienter omittant, quamvis absolutio sit valida, mortaliter peccant, quia in re gravi operantur contra Sacros Canones.

ELEEMOSYNA.

220. **Q**Uæritur. An fideles de superfluis statui teneantur succurrere pauperi in extrema necessitate constituto?

Resp. Principium generale, & commune est tam laicis, quàm Ecclesiasticis, utrosque obligari ad succurrendum pauperi in extrema necessitate constituto de superfluis statui, ratio est, quia nulla major necessitas, quàm extrema, nullumque minus incommodum divitibus, quàm expendere, quæ non solum naturæ, sed etiam statui superfluunt; ergo si lex charitatis, & misericordiæ obligat sub gravi, proculdubio obligat in casu adducto; quidquid sit, an obligatio ista sit solum ex lege charitatis, an etiam justitiæ, adeo ut teneantur etiam restituere damna inde secuta, qui huic obligationi non satisfaciunt, quod complures docent; præscindimus etiam, an huic obligationi satisfiat solum mutuando pauperi, non donando, quod pariter nonnulli; lege *propof. 12. inter damnatas ab Innoc. XI.*

221. **Q**Uæritur: An in extrema necessitate pauperi subveniendum sit, etiam ex necessariis statui?

Resp. Nemo tenetur ad destruendum proprium statum, ut occurrat extreme necessitate.

cessitatis pauperis, ratio est, quia nemo tenetur proprium statum destruere pro tuenda vita propria, ut docent comm. ergo a fortiori pro tuenda aliena; tenentur tamen omnes cum aliquo detrimento proprii status illi subvenire, quia pati aliquod detrimentum status non censetur medium extraordinarium, & moraliter impossibile; secus vero pati detrimentum grave; Advertendum tamen, quod laicus non tenetur ex superfluis statui ingentem vim pecuniæ insumere pro redimenda vita pauperis, neque obligatur ad succurrendum ægroto extraordinarias medicinas offerre, & medicum longè distantem advocare, quia hæc sunt extraordinaria media, quæ continent difficultatem ingentem: Contra vero Beneficiarius, cum teneatur superfluum statui in pios usus erogare, non patitur magnam difficultatem, si magnam vim pecuniæ expendat ad sublevandam extremam indigentiam personæ privatæ, & ideò ad id obligatur, nisi fortè ad bonum publicum expediret, pecuniam istam statui superfluum insumere ad sublevandam indigentiam minus gravem plurium pauperum, quàm ad conservandam vitam unius privati.

222. Quæritur. An in gravi necessitate subveniendum sit pauperi ex superfluis, aut etiam, ex necessariis statui, tam ab Ecclesiasticis, quàm à laicis sub mortali?

Resp. Quod si nomine gravis necessitatis veniat necessitas quasi extrema, qualis esset v. g. quod nobilis cogatur mendicare, aut aliter ducere vitam ipsa morte pejorem, tunc subveniendum est illi, etiam de necessariis statui, eo prorsus pacto, quo diximus, subveniendum esse tam ab Ecclesia-

clesiasticis, quàm à laicis in necessitate extrema; ratio est quia necessitas hæc valde gravis, & quasi extrema in morali æstimatione ipsi extremæ indigentia equiparatur; si tamen nomine necessitatis gravis veniat ea proximi indigentia ratione cujus minus dignè, & opulenter vivat, quàm deceat statum suum, succurrendum est illi sub mortali solùm de superfluis, non de necessariis statui, ut communius docent DD. contra nonnullos, putantes ad id non dari gravem obligationem, quorum sententia, damnata non manet.

223. Quæritur. An in communibus necessitatibus pauperum ostiatim mendicantium sub mortali subveniendum sit de superfluis statui, tam ab Ecclesiasticis, quàm à laicis?

Resp. Quamvis nonnulli putent, aut nullam, aut solùm sub veniali dari ad id obligationem, eo quod prudenter quilibet sibi persuadere possit, necessitatem istam pauperum esse ab aliis tollendam (aliter necessitas non esset communis, sed gravis, aut extrema) dicendum tamen est, graviter peccare eum, qui propositum habet nunquam subveniendi pauperibus in communibus necessitatibus; ratio est, quia cum erogatio eleemosynæ de se sit ardua, nisi daretur obligatio sub gravi erogandi illam etiam pauperibus in communibus necessitatibus, facilè contingere posset, quod huiusmodi pauperibus nemo subveniret, unde non posset formari prudens illud iudicium, quod non sit defuturus alius, qui subveniat; quapropter tenendum est pro certo ex ea propos. 12. ad Innoc. damnata huiusmodi gravem obligationem inferri.

EUCHA-